DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

DE

IMMVNITATE CIVITATVM IMPERIALIVM A VECTIGALIBVS IN REBVS AD VSVM PROPRIVM PVBLICVM PERTINENTIBVS

Vom Zoll-Weſen überhaupt

beſonders aber

Von der Reichs-Städtiſchen Zoll-Freyheit, in Sachen/ ſo zu dererſelben eigenen Nothdurfft gehören.

QVAM

CONSENSV INCLVTI ICTORVM ORDINIS

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES PRIVILEGIAQVE

RITE CAPESSENDI

AD D. XXII. IVLII A. CIↃ IↃCCXXVI.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTET

GEORG. FRIDER. HEZEL

HALA SVEVVS.

IENAE

REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI 1739.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

204

Digitized by Google

I. N. D. N. J. C.

PRAEFATIO.

Exantlatis cum DEO feliciter examinibus publicis, ab inclyto JCtorum Ordine hujus Athenæi Norici, pro ultimo ſpecimine pariter rite ſubeundo, obtinui facultatem, Diſſertationem Inauguralem ſolenniter ventilandi. Heic mihi de convenienti argumento cogitanti intra temporis anguſtiam, qua me conſtrictum deprehendi, variæ obvenere materiæ. Has inter ea, DE IMMVNITATE CIVITATIBVS IMPERIALIBVS COMPETENTE A VECTIGALIBVS IN REBVS PROPRII VSVS CAVSA INVEHENDIS, paulo penitius penſitanda, ſeſe mihi multis ex rationibus præ cæteris comprobavit. Hoc thema igitur inaugurationis cauſa ventilandum in medium producere, & pro viribus ingenii & eruditionis, ſummorum in jure privilegiorum & honorum capeſſendorum gratia defendere mecum conſtitui; Quantumvis enim haud ignorem, multos

205

me in hac aſſertione diſſentientes habere; tamen nec omnis ratio, ab iisdem propoſita, fundamenta mea, theſes meas hoc in argumento conceptas tuendi, deſtruere valet. Ut autem labor hic meus qualiscunque feliciter cedat, Numen immortale divinum ſupplex veneror.

I.

Acturo mihi in præſentia de immunitate Civitatum Imperialium a vectigalibus ratione rerum uſus proprii ſeu publici cauſa invehendarum; occurrunt quidem variæ voces, & harum explicationes perpendendæ. Verum enim vero his ipſis explicandis nolo diu immorari, cum per ſe cuivis illarum vocum ſignificationes notas eſſe puto, quam quod ſunt notiſſimæ. Hoc ſolummodo heic præmittendum haud abs re eſſe exiſtimo, ut terminorum, hac in Diſſertatione occurrentium, realem duntaxat deſcriptionem addam. Sic IMMVNITAS EST NIHIL ALIVD, QVAM EXEMTIO ET LIBERATIO A QVADAM PRAESTATIONE TAM PERSONALI QVAM REALI, ceu conſtat ex *tot. tit. ff. de jure immunitat.* & cumprimis ex *L. 8. ff. de vacat. muner.* vid. Stryk. *in Uſu Modern.* Lauterbach. *in Colleg. Theor. Pract.* Petr. Muller. ad Struv. *eod. tit.* CIVITAS autem IMPERIALIS HEIC NIHIL INNVIT ALIVD, QVAM COMMVNITATEM IMMEDIATE IMPERATORI ET IMPERIO SVBIECTAM, VOTVM ET SESSIONEM IN COMITIIS

HA-

Digitized by Google

HABENTEM, OMNIBVSQVE IVRIBVS TERRITORIALIBVS, VT ALII PRINCIPES ET PROCERES IMPERII, IN SVO TERRITORIO ET DISTRICTV GAVDENTEM. Knipſchild. *de jurib. & privileg. Civitat. Imper. L. 1. c. 2. §. 5.* & Schweder. *in Introd. ad jus publ. Part. Spec. Sect. II. Cap. IX. num. 2.* Porro VECTIGALIVM APPELLATIONE HOC LOCO INTELLIGO ISTAM PECVNIAM VEL REM, QVAE PRO INVECTIONE ET EVECTIONE MERCIVM SOLVITVR. Klockius *de jure vectigal. Tb. VII. lit. D.* Sixtin. *de Regal. L. II. Cap. VII. in princ.* Denique per RES, VSVS NECESSARII CAVSA INVECTAS, CAPIO ILLAS, QVAE VSVI SVO, ET NON MERCIMONII CAVSA APPORTANTVR, quamobrem vina, frumenta, ferrum, metalla, tigna, ac id generis alia, uſus neceſſarii cauſa per alterius territorium ducta vel flumen transvecta, immunia eſſe a vectigalibus cenſeo. Stryk. *in Uſ. Modern. in Tit. de Publican. & vectig. §. 9.* item Ziegler. *de jurib. Majeſt. L. 2. c. 9. §. 2.*

II. Immunitas iſta, cujus mentionem in §. antecedenti injeci, proficiſcitur conceditur que vel ab expreſſa voluntate Principis, privilegia immunitatis concedentis etiam ſine cauſa. *L. un. Cod. de his, qui a Principe vacat. acceper.* vel acquiritur pactionibus & conventionibus cum iisdem initis, qui juribus vectigalium utuntur. *L. 16. §. 12. ff. de publican. & vectigal.* Klock. *de jure vectigal. th. 42.* vel ſingulari conſuetudine, *L. 7. C. de excuſat. muner.* Receſſ. Imp. *de An. 1542.* §. Und wie wohl/ *item 16.* ibi: altem Gebrauch nach. ꝛc. vel denique

Digitized by Google

nique præſcriptione, libertate per immemoriale tempus poſſeſſa, *L. 6. C. de præſcript. 30. annor.* Receſſ. Imp. *de An. 1548.* §. Und ſoll unſer 2c. Quocunque denique modo immunitas hæc ſit impetrata, hunc effectum ubique habet, ut præſtet liberationem a ſolutione vectigalium. Nam conſuetudo, pactum, præſcriptio immemorialis, eundem effectum atque vim habent, ceu leges expreſſæ. Siquidem a pacto ad leges, ſtatutum, & vice verſa, arguere licet. Everhardus *in Topica legal. loc. a pacto ad Legem 119. n. 1.* Harpprecht. *Conſil. Tubing. 1. num. 120.*

III. Immunitate a vectigalibus rerum proprii uſus cauſa advectarum, de qua nunc ago, gaudent non modo civitates Imperiales Liberæ dictæ, ſed & civitates Imperiales ſimpliciter tales, freye Reichs-Städte / und Reichs-Städte / quia revera nulla realis differentia inter eas deprehenditur, quantum ſuperioritatem territorialem & jura civitatum attinet, imo nunc omnes civitates Imperiales indiſtincte liberæ appellantur. Licet negare non poſſim, olim aliquale fuiſſe diſcrimen inter civitates Imperiales liberas & Imperiales ſimpliciter tales, ſeu præfectorias, uti vocabantur. Liberæ enim audiebant, quæ Epiſcopos habebant Advocatos a Cæſare datos, quia olim mitia erant Epiſcoporum Imperia, ut proverbio diceretur: Beatam eſſe ſub Pedo Epiſcopali vitam, cujus veritas & inde firmatur, quod ſubjici Epiſcopo civitatem tum temporis perinde erat, ac libertatem nanciſci. Nam ita Ditmarus *in calce L. 5. Chronic.*

Urbs Wormatienſis gaudet temporibus iſtis
Libertate ſua, cujus manebat in umbra
Hactenus, atque Ducum fuerat ſub Lege ſuorum.

Quod

Digitized by Google

Quod & inſignis locus Adami Bremenſis illuſtrat *L. 2. hiſtor. Eccl. c. 1. Adalgagus (i. e. Epiſcopus) ut primum ingreſſus Epiſcopatum, Bremam, longo prius tempore poteſtatibus & judicaria manu (a rege conſtituta) compreſſam, præcepto Regis abſolvi, & inſtar reliquarum Civitatum (Imperialium ſeu liberarum) immunitate ſimulque libertate fecit donari.* Unde probabile fit, Civitatum Imperii liberarum nomen eſſe exortum. Vid. Gundling. *Diſſ. de Henr. Auc. p. 116.* His opponebantur Civitates Imperiales ſimpliciter tales ſeu præfectoriæ, uti ex *cit. loc. Adam. Brem.* apparet, quæ ſcil. Præfectis Ducibus ſeu Comitibus parebant, ſeu hos Advocatos habebant. Cum enim Præfecti illi nimis plerumque impotenter & avare populum tractare conſueviſſent, easque nimium premere vexareve ſolerent, qua de re in antiquis monumentis paſſim ſatis multæ exſtant querelæ; libertas urbium jam tum vocabatur a Ducum & Comitum ditione liberatum, atque Epiſcoporum ſubjectum eſſe Imperio, uti obſervat Petrus Lambeccius *L. 1. Rer. Hamburg. p. 31.* Hinc etiam Colonia, Agrippina, Moguntia, Argentoratum, Ratisbona, Wormatia, Spira, Civitatibus Imperialibus liberis fuerunt accenſitæ, quia ipſarum Advocati erant Epiſcopi. Reliquæ autem Civitates, ut Francofurtum, Ulma, Auguſta Vindelicorum aliæque antiquo vocabulo, hoc eſt ſimpliciter Imperiales dicebantur, quia ipſis Laici, Præfecti ſcilicet Duces & Comites Advocati erant conſtituti, qui etiam poteſtates, & Comites Civitatis dicebantur. Diſtinctio hæc inter Civitates Imperii liberas & ſimpliciter Imperiales ſeu præfectorias jam antiquiſſima eſt, ſæpiusque occurrit in Saxonicorum Imperatorum Diplomatibus vid. Carol. Gangius. Gloſſar. voce:

præ-

præfectoriæ civitates. Aliorum opiniones de hac diſtinctione Civitatum Imperialium ſtudio omitto, cum de hac materia nunc ample diſſerere mei non ſit inſtituti, atque de ea copioſe egerint Pfeffinger. in Vitriar. Illuſtrat. *T. II. L. 1. Tit. XVIII. §. 1, litt. D. p. 775. & ſeqq.* & Knipſchild. *de jurib. & privileg. Civit. Imper. L. 1. c. 2, §. 4. verſ. 18. ſeqq.* Limnæus *in Jure Publ. L VII. cap. I. §. 33. 34. ſeqq. &* Schweder. *in Diſſ. de pari nexu Civit. Imp. cum ſacro Rom. Imperio.* Interim certum manet, Civitates Imperiales liberas & ſimpliciter Imperiales olim diſtinctas fuiſſe; nam illæ in Conventibus Civitatum prærogativam ſeſſionis ſibi vindicabant præ his, cujus rei indicium eſt apud Lehmann. *Chron Spir. Cap. 4.* ex actis Comitiorum Wormatienſium, deinde idem Lehmannus & Dattius *de pace publica L. 1. Cap. 6.* oſtendunt, quod Civitates liberæ antea ſimpliciter Imperiales civitates Receſſus Imperii ſubſcripſerint, uti in Receſſu Imperii Eslingæ, confecto A. 1486. & quidem ita, ut expreſſa mentio & quidem ſeparatim fiat, der Frey-Stät Bottſchafften / ſo auf dieſem Tag geweſen / & poſtea intervallo interjecto, der Reichs-Städt Bottſchafften. &c. atque ita etiam in Comitiis Wormatienſibus A. 1495. Civitates Imperiales ipſæ ſe in Liberas freye / & ſimpliciter Imperiales diviſerunt. vid. Pfeffinger *cit. loc. p. 776. &* Knipſchild. *de jurib. & privil. Civit. Imp. L. 1. c. 2. §. 24.* Deinde illa in multis Imperii conſtitutionibus interjecta copula, freye und Reichs-Städte ſatis indicat, quod hæ olim ab invicem diſtinctæ fuerint. Aſt quod hodie nullum amplius diſcrimen inter Civitates Imperiales liberas & ſimpliciter tales reperiatur, & omnes nunc indiſtincte liberæ vocentur, a nemine facile negari

poteſt,

poteſt, quia nunc omnes civitates vel plane ſolutæ liberæque ſunt ab Advocatis & Præfectis Imperatoriis, vel, ſi quos adhuc habent, Epiſcopos pro talibus agnoſcunt; adeoque optimo jure vocabulum libertatis omnibus Civitatibus Imperialibus dari aſſerique poteſt, & etiam omnes noviſſimis temporibus ſecundum Inſtrum. Pac. Weſtphal. *Art. VIII.* §. 4. liberæ vocantur, nullaque diſtinctio inter eas obſervatur, quia nunc omnes eadem libertate, immedietate, jure ſtatuum Imp. utuntur, & æquali jure cenſentur. vid. Juſtus Sinold. cogn. Schüz. *de ſtatu Reip. Rom. vol. 1. Exerc. VIII. theſ. 22. lit. B.* Reinking. *de Regimin. Sec. & Eccleſ. L. 1. claſſ. 4. cap. 20. num. 36.* Limnæus *in Jure Publ. L. VII. c. 1. num. 26.* Cum proinde omnes Civitates Imperiales æquales omnino ſint, iisdemque juribus fruantur, iisdem etiam omnibus hanc immunitatem à vectigalibus in rebus ad proprium ſeu publicum uſum pertinentibus, aſſerendam eſſe duxi.

IV. Quemadmodum autem vectigal diverſum & varium eſt, dum aliud dicitur *terreſtre*, quod terra exigitur, aliud *navale*, quod ex iis rebus, quæ aqua vehuntur, capitur, Waſſer-Zoll; *Terreſtre* autem rurſus audit vel *vectorium*, vel *pedagium*, quod pedites vel equites ſolvunt, & *Guidagium*, quod datur alicui, ut tutum aliquem conducat per locum alterius, vulgo der Geleits-Zoll / *vectorium* iterum in ſpecie ſic dictum eſt, quod percipitur ex rebus, quæ ſolo duntaxat vehuntur, Straſſen-Zoll / vel *Pontivegium*, quod exigitur ab iis, qui pontem permeant, diciturque etiam portorium, arg. *L. 60. §. pen. ff. Locat.* Brücken-Zoll / *portorium* ulterius eſt vel *marinum*, quod in portu ob trajectum maris deponitur, vel *fluviatile*, cujusmodi in fluminibus Rheno, Danubio, vel Albi,

exigitur,

208

exigitur, vel etiam *ripaticum*, quod ratione riparum à tranſeuntibus de ripa ad ripam ſolvitur. *2. F. 56.* Bocer. *de Regal. cap. 3. n. 194.* Sixtin. *de regal. lib. 2. c. 5. n. 9.* Klock. *de ærar. Lib. 2. c. 73. usque ad cap. 77.* Maximil. Fauſt. ab Aſchaffenburg. *Conſil. pro ærar. Claſſ. 3. Conſil. 12. ordin. 101.* ita quoque Civitates Imperiales pro diverſitate horum vectigalium immunitatem ab iisdem ſortiuntur, quia immunitas indefinite iis eſt conceſſa, ergo etiam generaliter & indefinite ab omni vectigalis præſtatione immunes ſubaudiendæ ſunt: Generaliter enim inductum, etiam generaliter intelligi debet, arg. *L. 5. C. de vectigal. & commiſſ. L. 1. §. 1. ff. de legat. præſtand.* Siquidem locutio generalis quoad omnia, de quibus capi poteſt, eundem effectum habet, quem ſpecialis de ſingulis. *L. 73. de Legat. 3.* Surd. *Conſil. 2. n. 44.* Lauterbach. *in Colleg. Theor. pract. Tit. de publican. §. 16.* Tametſi illa generalis exemtio à vectigalium ſolutione non attendatur in exactione tempore neceſſitatis pro bello, vel pro refectione ſive conſervatione difficili viarum publicarum, pontium, portuumque, quo caſu omnes, etiam immunes, hujus vectigalis præſtationi ſunt obnoxii. *L. 7. C. de SS. Eccleſ. L. 17. C. de oper. publ. L. 4. C. de priv. dom. Aug.* Mev. *P. 17. Deciſ. 127.* Sixtin. *de Regal. c. 6. n. 142.* Bocer. *de Regal. c. 2. n. 205.* Maximil. Fauſt. ab Aſchaffenburg. *Conſil. pro ærario Claſſ. 17. Conſil. 23. Ord. 565. in fine.*

V. Supra monui, immunitatem, Imperialibus Civitatibus à vectigalibus competentem, ſolummodo accipiendam eſſe de rebus, quæ ad uſus proprios invehuntur, devehunturque. vid. Ziegler. *de jurib. Majeſt. L. 2. cap. 9. §. 1.* Dicuntur autem proprii uſus cauſa vehi, quæ vel ad Civitatum Imperialium publicam neceſſitatem, vel ad

 com-

commeatum earum bellicum conducunt & faciunt. Huc ſpectant, quæ victui & amictui militum inſerviunt, vel alias ad horum vitæ corporumque conſervationem & inſtructum apparatum requiruntur, uti vinum, frumentum, pannum, ſal, equi, vel etiam ad alios uſus publicos neceſſaria ſunt, v. gr. ad ædificia nova publica vel extruenda, vel reficienda, quo pertinent, tigna, metalla, ferrum aliusque generis plura; argum. *L. 5. C. de vectig. & commiſſ.* Klock. *de jure vectigal. th. 57.* quum enim homines privati de rebus, uſus proprii cauſa comparatis, nullum jure communi vectigal ſolvant, ſecundum cit. L. *5. C. de vectig.* & *L. Cenſoriam. 203. ff. de V. S.* adeo ut uſus proprius uſum quoque familiæ includat. *L. 12. §. 1. ſi uſus. ff. de uſu & habitat.* Quidni multo magis non deneganda eſt Civitatibus Imperialibus immunitas ab ejusmodi rebus, cum omnia illa, quæ ab iisdem proprii uſus cauſa invehuntur vel devehuntur, publicæ utilitatis cauſa importentur, & illæ omnino magno favore dignæ ſint in Imperio, quia etiam ad compendium & utilitatem Imperatoris & totius Imperii multum & valde contribuunt: Oneribus enim magnis tam ad conſervationem ſecuritatis publicæ, quam ſuſtentationem Cameræ Imperialis gravatæ ſunt, & hæc ſemper ferre tenentur, deinde ſunt & dicuntur tamen fulcra & columnæ Imperii, **Säulen und Stützen des Reichs.** Reinking. *de Regim. ſecul. & Eccleſ. L. 1. claſſ. 4. c. 20. num. 8.* Joh. Limnæus *de Jure Publ. T. 3. L. 7. c. 1. n. 43.* & non minima pars roboris ſacri Romani Imperii in iis conſiſtit, uti indicat Thuanus *hiſtor. lib. 1. & 4.* cur non ergo res, ad uſum earum proprium & publicum advectæ & devehendæ, immunes exemtæve à vectigalibus in ſacro Romano Imperio ſint judicandæ. Quanquam, ſi Mini-

209

ſtri atque Officiales Civitatum Imperii ſui cauſa ſeorſum quid earum rerum ducant, licet ſuæ civitatis intuitu; quia tamen hic uſus proprie Civitatem non concernit, tradente Gœddæo, *ad l. 203. ff. de V. S.* nec immunitas ad illas res extendi poteſt.

VI. Hinc etiam neceſſarium eſt, ut, ſi proprii uſus cauſa civitatis Imperialis nomine advehuntur merces, aliæve res neceſſariæ, ut earundem vectores in veritatis teſtimonium, litteras teſtimoniales Civitatis illius, ad quam res pertinent, ein Paß oder Freyzettul in ſtationibus vectigalium producant, ſicque oſtendant, quod nimirum res has proprii uſus cauſa nomine civitatis transvehant. In defectu enim harum litterarum teſtimonialium, ſi aliæ præſumtiones non ſunt impedimento, id jurato aſſeverare debent, aut conſvetum telonium ſolvere. Locum ergo hoc juramentum tum demum habere arbitror, quando vectores dictarum rerum litteris teſtimonialibus, a ſuis principalibus datis, proprietatem mercium emtarum vectarumque certiorare non valent. Valaſc. *Deciſ. & Conſult. 167.* & aliqualis præſumtio contra eos militat, quia ita ſuſpicionibus gravatis juramentum ejusmodi purgatorium jure meritoque imponitur. *L. Admonendi. 31. ff. de jurejurand. c. fin. X. de jurejurand.* Paul. Caſtrenſis *ad cit. L. Admonendi. num. 3. L. un. C. de litter. & in itiner. cuſtod.*

VII. Nunc quæritur: Num hæc immunitas à vectigalibus rerum, uſus gratia invectarum, tanta ſit, ut nequidem conſvetudine contraria tolli poſſit, & ſi quæ extet, ea ceu injuſta & irrationabilis haud ſit attendenda? Licet enim pro affirmativa ſequentia poſſint proponi momenta: 1.) quod conſvetudinis quidem ſit vis magna, ſed non tanta, ut poſſit vincere legem aut rationem; *L. 2.*

C. quæ

C. quæ ſit longa conſvetud. Cacharan. *Deciſ. 22. n. 3.* Anton. Faber *in Cod. Sabaud. L. 9. tit. 30. Defin. 14. n. 5.* nam adverſatur hæc conſuetudo non modo juri civili. *L. univerſi. 5. C. de vectigalib. & Commiſſ.* ſed etiam diſpoſitioni Juris Canonici in *Clement. præſent. de Cenſib.* Roland. à Valle *Conſ. 34. n. 20. vol. 3.* 2.) cit. *L. Univerſi.* 5. pœnalis eſt, capitaliter plectens milites & ſtationarios, contra ejusmodi leges non admittitur conſuetudo in contrarium. Hoſtienſ. *in cap. de Treug. & pac.* Tiraquell. *in L. Si unquam. verbo &c. revocetur. n. 350. C. de revocand. donat.* 3.) conſuetudo, injuſta ratione ſubnixa, nomen conſuetudinis amittit. *L. 39. ff. de LL. Nov. 134. c. 1.* nam impoſito vectigali rebus, quæ uſus neceſſarii cauſa vehuntur, non ſervatur juſta diſtributio oneris inter divitem & pauperem. Suarez. *de Legibus, L. 5. c. 16. n. 2.* & quamvis alia ratio aut æquitas adhuc fingi poſſit; nemo tamen inficias ibit, Legem, res proprii uſus cauſa vectas eximentem, æquiorem eſſe, unde ſi conſuetudo non eſt rationabilior lege, hanc ipſam non tollit. Maranth. *Conſil. 71. num. 3.* Nihilo ſecius tamen puto, iſthæc fundamenta pro conſuetudine contraria adducta firmiora eſſe: Conſuetudo enim non quidem impedit & vincit Legem, ſi eſt anterior lege, bene tamen ſi eſt novior & poſterior. *L. 32. ff. de LL.* Aym. Cravett. *Conſ. 232. num. 6.* nec jus Canonicum adeo fixum & firmum eſt, ut conſuetudine non tollatur. *L. fin. X. de Conſuetud.* Imo nec Lex anterior impedire valet conſuetudinem ſubſequentem, niſi clauſulam derogatoriam annexam habeat. *Auth. Naviga. C. de furtis.* denique nondum eſt probatum, quod iſthæc conſuetudo ſit irrationabilis, cum neceſſitas ſæpius vectigalis impoſitionem imperet,

210

nec etiam hujusmodi conſuetudo ab uſu Germaniæ, qui indifferenter tam ex rebus commercii, quam uſus gratia transvectis portorium exigit, eſt aliena. Köppen. *Deciſ. 50. n. 34.* Gylmann. *Deciſ. 8. n. 5. lib. 1.* Hinc etjam Privilegium Electori Palatino a Divo Maximiliano I. A. 1518. conceſſum, **daß ſie von einem jeden Fuder Wein/ ſo durch oder auſſer ihrem Fürſtenthum/ Landen und Gebiethen der Pfaltz/ auf den Flecken und Gebiethen/ ſo ſie mit einander in Gemeinſchafft haben/ zu eigenen Gebrauch oder Verkauff geſchleifft/ getragen/ oder gefahren wird/ einen Gulden/ oder was darin minder oder mehr denn ein Fuder iſt/ nach viel oder Anzahl des Weins auf- und abzuſteigen/ zu Zoll-Geld/ zu Waſſer und zu Land aufheben oder einnehmen mögen.** ab illa contraria conſuetudine vires capere dicitur. Pariter in locis iſtis, Ducatibus, territoriis & provinciis, ubi ab Acciſia nemo regulariter exiſtit immunis, ſed etiam privilegiariæ perſonæ hujus præſtationi ſubjiciuntur, conſuetudinis iſtius, contrariæ Legi Rom. exiſtentia ſatis evincitur. Stryk. *in Uſ. Modern. de publican. & vectigal. §. 11. & 12.* Hinc etiam eſt, ut iſtam conſuetudinem ab injuſtitia vindicent Molinæus *de juſtit. & jur. diſp. 669.* Klock. *de Ærar. L. 2. c. 78. n. 19. & ſeqq.* Quicquid ſit de jure; de facto tamen ſervatur ea conſuetudo, & viget hodie in tota Germania, ut de quibusvis rebus vectigal ſolvatur, etiam de rebus, ad uſum proprium pertinentibus. Bocer. *de Regal. c. 2. num. 202.* Kœppen. *Deciſ. illuſtr. 50. num. 70.* Trentacinq. *var. Reſol. in tit. de jure fiſci reſol. 5. n. 25.*

VIII. Aſt, hac conſuetudine non obſtante, immunitas tamen adeſt intuitu rerum ad uſum proprium Ci-

vita-

vitatum Imperialium pertinentium. Harum enim immunitatem à vectigalibus, multis munitam fundatamque eſſe fundamentis & rationibus autumo. Inter alias hæc cumprimis eſt, quod hodie omnes Electores, Principes, Comites, aliique Illuſtres, iſta exemtione gaudeant, ut de rebus, ad victum & cultum eorum, & quos uſus publici propriique cauſa ſecum habent. *L. 203. ff. de V. S.* aulamque inſtruendam, pertinentibus, haud pendant vectigal. arg. Conſtit. Imp. *de An. 1521.* §. **Item ſollen Churfürſten.** Bocer. *de Regalib. c. 2. n. 147.* Maxim. Fauſt. ab Aſchaffenb. *Conſil. pro ærar. claſſ. 3. conſil. 40. ord. 103.* Stryk. *Uſ. Modern. ad tit. ff. de publican. & vect.* §. *8. & 9.* in verbis: *Porro Principes ac Status Imperii reliqui eadem immunitate gaudeant; unde licet ipſis vina, frumenta, ac ejus generis alia, victus & cultus cauſa, uſui ſuo ſine vectigali per alterius territorium ducere vel flumen trajicere.* Cum proinde Civitates Imperiales æque Status Imperii & membra ejusdem immediata ſint, ac reliqui Principes, Comites, aliique, qui votum & ſeſſionem in Comitiis habent; nihil ambiguitatis reſtat, quin ejusmodi immunitas etiam ad Civitates Imperiales ita extendi debeat, ut hæ quoque immunitate iſthac, in rebus ad publicum uſum pertinentibus, utantur, fruantur. Id quod vel ideo æquum juſtumque habendum eſt, quum & ipſæ pro utilitate Imperatoris & Imperii, tam tempore pacis quam belli, variis modis Imperio ſuccurrere obſtringantur, & cumprimis iis rebus, quas proprii uſus cauſa invehi atque evehi curant, neceſſitati Imperii inſerviant, ejusque commodum promoveant, adeoque & redhoſtimenti loco illis hoc immunitatis haud denegandum eſt beneficium. Hinc extra omnem dubitatio-

nis

Digitized by Google

nis aleam plane poſitum eſſe judico, **Imperatorem & Electores**, ſicuti ipſi tam vectigalia nova concedunt, quam vetera augent atque prorogant, ſecundum Capitulationes Cæſareas, LEOPOLDI, *art. 21.* **Keinen Zoll.** JOSEPHI, *art. 20.* & CAROLI VI, *art. 8.* verb. **Nachdem auch die Billigkeit erfordert ꝛc.** ſic Statibus reliquis hac in parte jure quæſito gaudentibus, nullum inferre voluiſſe præjudicium, ceu ipſa verba Capitulat. JOSEPHI *art. 20.* ſatis indicant: **Doch ſoll denenjenigen Privilegien / welche Churfürſten / Fürſten und Stände des Reichs / ſamt der gefreyten Reichs-Ritterſchafft / von weyland denen vorgeweſenen Röm. Königen oder Kayſern zur Zeit / da der Churfürſten** *Conſens per pacta & capitulationes* **noch nicht alſo eingeführet / oder nöthig geweſen / rechtmäßig erlangt / oder ſonſten ruhiglich hergebracht / hierdurch nichts** *præjudici*ret **oder benommen ſeyn / ſondern von uns auf gebührendes Anſuchen / vermög und krafft des obgeſetzten 3ten Articuls / confirmirt / und die Stände dabey ohne Eintrag männigliches gelaſſen werden.** Cum omnis privilegiaria conceſſio juris vectigalis intelligatur ſalvo jure tertii & Imperii; tametſi in ea plane nulla hujus reſervationis facta ſit mentio, quia hæc ſemper tacite ſubintelligitur. Andr. Knichen. *in Encyclopædia juris c. 10. n. 161.* conſ. Stryk. *in diſſ. de Principe, jus ſuum ſalvum reſervante, c. 1. n. 14.* Id. *in Uſ. Modern. ad tit. ff. de publican. & vectigal.* Recte hinc Lauterbach. *in Colleg. theoret. pract. cit. tit. de Publican.* §. 16. iſtam immunitatem explicite & nominatim Civitatibus Imperialibus attribuit: nam & hæ Status Imperii ſunt, & Illuſtribus perſonis ratione jurium realium æquiparantur & pares

Digitized by Google

pares habentur, unde etiam pro Rebuspublicis Illuſtribus ubique reputantur. Hieron. Schurt. *Cent. 1. conſil. 26. num. 1. & 2.* Dauth. *Diſcurſ. general. & ſpecial. de Rebuspubl. fol. 36.* Joh. Limnæus *in Jure Publ. T. 3. L. 7. c. 1. n. 42.* Sicuti ejusmodi prædicato Reipublicæ etiam ab aliis honorantur & ſalutantur, ceu inter alia ex *Pacif. Weſtph. ejusque art. 17. ſub fin.* pateſcit. Et quamvis quis prætendere vellet, quod Civitates Germ. Imperiales non ita ab Imperatore liberæ & exemtæ ſint, ſicuti Italicæ Respublicæ; Idem tamen de Germaniæ Principibus dicendum foret, qui pariter non ita, uti nonnulli Italici Principes, exemti ſunt & liberi; Nihilominus tamen haud ſunt deterioris vel inferioris conditionis iſtis Principibus Italiæ, imo melioris, cum ſimul in exercitium certorum jurium Imperii in diætis Univerſalibus admittantur, Italiæ autem Principes, qui Regales duntaxat Imperii vaſalli ſunt, plane non; Klock. *de Contribut. c. 5.* & late Paurmeiſter. *in ſuo tractat. de jurisdict. Imper. Rom. L. 2. cap. 2. p. 54.*

IX. Cum ergo civitates Imperiales in ſuis diſtrictibus & territoriis jura Principum & Illuſtrium habeant, regaliaque omnia, nec non ſuperioritatem territorialem exerceant, & dehinc Principem reali poteſtate ſua repræſentent, cur non etiam hoc jure, quo Princeps atque Comes fruitur, gaudeant; nam hoc jus non eſt perſonale: Hoc enim Civitates Imp. non utuntur, cum ordine dignitatum & præeminentiæ Principum non præfulgeant, id quod ipſæ civitates ſponte ſua agnoſcunt, dum Duces & Principes dominorum ſuorum Clementium titulo honorare ſolent. Sed duntaxat, ratione juris ſibi in territorio competentis, Principibus & reli-

21

quis Illuſtribus rite æquiparantur, dum jura realia ratione diſtrictuum & territoriorum, quæ ab Imperatore & Imperio immediate poſſident, illis recte attribuuntur. Erneſtus Cothmann. *vol. 2. Reſp. 29. n. 523. & ſeqq.* Beſold. *de jurib. civit. Imper. num. 8.* Matth. Stephan. *de jurisdict. L. 2. P. 3. c. 1. n. 64.* Quamobrem ipſis in Pacificatione Weſtphalica quoque *art. 8. §. 4. tam in univerſalibus quam particularibus diatis non minus, quam cæteris Statibus Imperii competit votum deciſivum, iisque rata atque intacta maneant regalia, vectigalia, reditus annui, libertates, Privilegia confiſcandi, & inde dependentia aliaque jura, ab Imperatore & Imperio legitime impetrata, obtenta, poſſeſſa & exercita, cum omnimoda jurisdictione.* Facile hinc cuivis innoteſcit, quod & ipſis ceu Statibus Imperii proinde libertas & immunitas a vectigalibus, cæteris Principibus & Statibus Imperii competens, eo minus ſit deneganda, quo magis iisdem in Pace Weſtphalica expreſſim libertas omnis reſervata fuit.

X. Deinde ſi nobilibus immediatis Imperii iſta exemtio a vectigalibus in rebus, ad uſum ſuum pertinentibus, competit, ceu habent Gölniz *de jurib. & vectigal. c. 3. n. 57. & ſeqq.* Limn. *in Jur. Publ. L. VI. c. 3. n. 52.* Bidembach. *L. 5. nobil. quæſt. 18. n. 1.* quorum integra privilegia a Carolo V. A. 1547. & 1578. & 1601. producit Dn. Burgermeiſter. im Reichs-Ritterſchafftlichen *Corpore juris ſeu Codice Diplomat. P. II. litt. g. 1. & litt. g. 2. n. 264. & 272.* Sed & refert quoque horum contextum Klock. *de vectig. th. 31. litt. 6. ibi:* **Daß ſie alle ihre Früchte und Wein / und was ihnen aus ihren eigenen Gütern / Zinſen / Gülten erwächßt oder gefället / oder ſie zu ihrem Hausweſen erkauffen / in allem**

Mauth

Mauth- und Zollſtätten frey und unbeſchwert ſeyn; item, daß ſie ſolche Freyheiten von allen andern zu ihrer Haushaltung und Bau gehörigen Nothdurften/ ſo ſie aus andern Herrſchafften zu Waſſer oder Land durch ihre eigene Leuthe und Roß führen/ oder auch durch andere führen laſſen/ verſtanden/ und ſie dieſer jetzt gehörten Sachen eben ſo wenig/ als wegen Wein/ Getraidig/ mit einigen Zoll/ Mauth/ Aufſchlag/ nicht beſchweret werden ſollen; Cur non multo magis Civitatibus Imperialibus, ceu non tantum membris immediatis Imperii, ſed & adeo Statibus Imperii eſſet aſſerenda iſthæc immunitas, cum in univerſum iisdem juribus, ac alii Status Imperii in hoc paſſu gaudeant, atque utilitatem Imperatoris & Imperii non minus ac alii ſtatus ac membra immediata Imperii nobilia promoveant. Knipſchild. *de Jur. & Privil. Civ. Imp. L. 2. c. 1. §. 18. & ſeqq.* Lauterbach. *in Colleg. Theor. Pract. tit. de publican. & vectigal.* §. *16.* Schweder. *in Introd. ad Jus Publ. Part. Spec. ſect. 1. cap. 20.* §. *6.* expreſſe inter immunes a vectigalibus refert res ad proprium uſum advehi curantes Principes & Status Imperii, quos inter civitates Imperiales ſine dubio ſunt comprehendendæ. Stryck. *in Uſ. Mod. ad Tit. de publican. & vectig.* §. *9.* modo non vina, frumenta, aliaque ab iisdem emantur advehanturque, non uſus ſui proprii & neceſſarii, ſed commercii & lucri cauſa, ut cum iis negotientur, lucrumque faciant. Nam tunc iſtac immunitate civitates, ut etiam alii, non fruuntur, quia favor hic eo non eſt extendendus. Wehner. *Obſ. Pract. voce* Zollfrey. Frid. Mindan. *de Mand. L. 2. c. 42. num. 20. L. 7. C. de vectigal.*

213

XI. Deinde gaudent Civitates Imperiales, uti reliqui ſtatus, jure mittendi legatos, tam in propriis cujusque civitatis, quam communibus earundem, vel totius Imperii cauſis, idque propterea, quod hoc jus dependeat à ſuperioritate territoriali, & jure territorii competat. Chriſtoph. Ming. *de ſuperior. territ. concl.76. in fin.* & Knipſchild. *de jurib. & privil. civit. Imp. L. 2. c.25.* cum igitur Civitatibus Imperialibus competant jura Principum ac reliquorum Imperii Statuum, nec non regalia & territorialia jura; vid. late Pfeffinger. *in Vitriar. Illuſtr. T. III. L. 3. Tit. 15. §. 13.* hoc quoque legationis ipſis competere neceſſe eſt, cum hoc ipſis nullibi denegetur, imo potius in Legibus & Conſtitutionibus Imperii confirmetur, uti ex ſequentibus patebit; conf. Kulpiſ. *de jure mittend. Legat. Stat. Imp.* & Dn. Wœlckeri *Conſil. Noric. Diſſ. inaugural. de jure mittendi legatos Civit. Imper. per tot.* Nunc vero Legati Electorum, Principum, & Civitatum Imp. ad Comitia vel univerſalia vel particularia miſſi, immunes ſunt à præſtatione vectigalium, quoad res, quas ad proprium ſuum familiæque uſum apportant, vel advehi curant, ceu peculiari *Edicto An. 1666.* ab Imperatore LEOPOLDO glorioſiſſ. memoriæ, ipſis hæc immunitas fuit confirmata. Fritſch. *Elect. Jur. Publ. Part. II. c. 5.* Schweder. *Introd. ad Jus Publ. part. ſpec. ſect. 1. c. 20. §. 6. num. 3.* conf. Capitulat. CAROLI VI. *art. 8. in fin.* Nachdem auch die Billigkeit erfordert ꝛc. Inprimis vero intuitu legatorum Civitatum Imper. inſpiciendum Concluſum duorum ſuperiorum Collegiorum, die Mautbefreyung derer von denen Reichsſtädtiſchen Geſandten nach Regenſpurg auf den Reichs-Tag bringenden Mobilien und Victualien betreffend, *An. 1708. 30. Aug.* per Moguntinum ad publicam

cam dictaturam promotum, apud Fabrum *T. XVI.* der Staats-Canzley. *cap. VI.* §. *1. p. 336.* So iſt auf abermahlig geführt des Reichsſtädtiſchen *Collegii* Beſchwerde / bey dero Uberlegung / dafür gehalten / daß dieſes Verfahren der Maut-Beamten und Zoll-*Adminiſtratoren*, gegen die Reichs-*Conſtitutionen*, das alte Herkommen / auch die / noch bey fürwährender Reichs-Verſammlung errichtete Reichs-Schlüſſe / und darauf von weyland Ihro Röm. Kayſerl. Majeſt. *LEOPOLDO*, allerglorw. Gedächtniß / allergnädigſt *emanirten Edicten* und *Mandata* lauffe / Krafft deren alle des Heil. Reichs Chur-Fürſten / Fürſten und Ständen Räthe / Botſchafften und Geſandte / ſo ſich auf Reichs-*Collegial- Deputations-* und Craiß-Tägen befinden, oder dahin verfügen / von wegen derſelben *Mobilien*, *Conſumtibilien* und *Victualien*, aller Orten Zoll- Maut- *Acciſ-* und Aufſchlag-frey *paſſ-* und *repaſſiren*, und mit dergleichen *Exactionen* weder von *Immediat-* noch *Mediat-* Ständen / keineswegs / ihrer habenden *Privilegien* oder anderer vorwendender Urſachen halben ohngehindert / beſchwehret werden ſollen. rc. Quæ totidem verbis Concluſo trium Collegiorum, in eadem cauſa An. 1710. 6. Maji dictato inſerebatur. vid. Faber *loc. cit.* §. *2. p. 341.* item *Tom. 40. cap. 13.* §. *1. 2. p. 674.* Quoniam ergo Miniſtri Civitatum Imp. ablegati hac immunitate à vectigalibus gaudent; cur non ipſæ Civitates legatos mittentes eodem jure uterentur, fruerenturque in rebus ad publicum uſum ſpectantibus, ſecundum iſtud tritum: *Propter quod unumquodque eſt tale, id magis tale eſt;* cum ipſæ Civitates Imperiales ſint Status Imperii legatos mittentes, & jure Statuum ubique gaudentes, & hinc eo intuitu pariter ac earun-

C 3 dem

dem legati, Civitates Imperiales ſaltem repræſentantes, à vectigalium ſolutione exemtæ ſint cenſendæ, potiſſimum cum ex ore omnium Juris Publici Scriptorum Status Imperii ſint, & hi hodie immunes à præſtatione vectigalium habeantur. Hinc eadem jura non ſine ſumma injuria Civitatibus Imperialibus diſputantur, & a nonnullis in dubium vocantur, quoniam hi diſſentientes contra fundamenta & jura Statuum atque immediatorum membrorum aſſertum ſuum tueri conantur; quod cum analogia jurium Statuum Imperii vix ac ne vix quidem concordare poteſt. Rectius hinc Lauterbachius, vir acuti judicii, Civitates Imperiales Statibus atque Illuſtribus in eo adjungit, ut his æque immunitatem à vectigalibus ac iſtis vindicet, *in Colleg. Theor. Pract. ſub tit. de Publican.* §. 16.

XII. Parum hinc vis & efficaciæ habere mihi videtur Klockii doctrina, qui non tantum Principibus & Comitibus, ſed etiam civitatibus Imp. Germaniæ immunitatem à vectigalibus in dubium vocat, quaſi nec ex jure communi nec conſvetudine iſthæc immunitas derivari poſſit, ſed & expreſſim eandem civitatibus denegat. Tametſi enim ipſe aſſerat, exemtionem iſtam à vectigalibus Reipublicæ Romanæ & Imperatori competere; arg. *L. 9. §. 8. ff. de publican. & vectigal.* attamen nec ad principes noſtros nec civitates hoc immunitatis jus extendi poſſe & debere putat, cum Bertachino *de Gabellis P. VIII. num. 25. &* Roſate *Conſil. 335. num. 5.* Verum hoc aſſertum ſuum Klockius nulla juris ratione adducta probat, cur non etiam ea privilegia, quæ juris ſunt communis, ſive civilis, poſſint conſvetudine, ut jure non ſcripto, æque extendi ad alios, ac ſi ſtatim ab initio ſcripto jure legeque ſcripta iſtam immunitatem accepiſſent. Nec ſequela Klockii procedit

cedit ex ordinatione Regimenti **zu Augſpurg** / rubro : **Aller ſo in des heil. Reichs Regiment. ꝛc.** deducta, quaſi Imperator Principibus ad Regimentum Imperii electis duntaxat dederit hoc, ut ſine vectigali, **Nothdürftigen Proviant** ſive res ad victum & cultum neceſſarias, advehere poſſint, & ſic fruſtra hæc conceſſio facta fuerit, ſi conſuetudo generalis eosdem jam ante exemiſſet. Aſt allegata illa ordinatio eſt prioris jam dudum exiſtentis conſuetudinis non modo approbatio, ſed etiam extenſio eousque facta, ut omnes, etiam Miniſtri Principum, Regimento Imperii admoti, poſſint immunitate, Principibus & ſtatibus Imperii alias competente, uti, quamdiu Regimenti Imperii membra & Aſſeſſores fuerint. Nec juvat Klockium iſtud, quod adduxit **aus dem Bericht Hiſtoriſcher Handlung** *P. II. rubr.* **gegründet und unwiederlegt.** *verſic.* **wiewol.** *p. 1587. & c. 1. p. 114. verſic.* **daß Herren und Fürſten. ꝛc.** quod immunitas iſthæc ad eas res tantummodo, **ſo zu Fürſtlicher Hofhaltung und Tafel geführet werden**/ reſtringatur. Nec iſtud privilegium atque jus quoddam ſingulare eſſe, quod quivis privatus, ſi res uſus neceſſarii cauſa comparat, à vectigali liber ſit; *L. univerſi. 5. C. de vectigal. & Commiſſ. ibique* Wiſſenbach. ſiquidem hoc jus commune novioribus vectigalium Conceſſionibus & conſuetudinibus præſertim in Germania ita obliteratum eſt, ut ille, qui immunitatem nullam acquiſitam novit allegare, non amplius poſſit provocare ad iſtud jus commune olim cuilibet datum, ſed teneatur, ſe vectigalibus obnoxium profiteri. Bocer. *de regal. c. 2. num. 202.* Trentacinq. *Reſol. var. l. 1. reſ. 5. n. 25.* Cœppen. *Deciſ. Illuſtr. 50. num. 30.* Aſt immunitas illa, de qua nos agi-

mus,

mus, ſcilicet civitatum Imperialium, non jure communi, ſeu *L. 5. C. de vectig. & commiſſ.* fundata & innixa eſt, ſed alia plane conſuetudine, maximisque rationibus firmatur. Et quamvis ipſe Klockius certam quantitatem vini aliquibus maxime in Rheno flumine libere dimitti non negat, ſed id duntaxat ex civilitate & urbanitate & ſub ſpecie reciprocationis ſimilis immunitatis in alio ſimili caſu fieri putet; tamen hoc aſſertum continet illud, quod adhuc eſt in principio: Probatione enim eget iſta civilitas & urbanitas ab eodem allegata, quam vix quispiam admittet, ſi non ſe jure ad iſtam immunitatem concedendam, ſentiat obſtrictum.

XIII. Multo minus autem deneganda eſt iſthæc immunitas aliis ſtatibus Imp. moribus & conſuetudinibus inducta, civitatibus Imperialibus, in quibus hoc maxime notatu dignum occurrit, quod ipſæ olim fuerint bona domanialia Cæſarum. Hinc etiam vocabantur villæ regales, urbes regales, uti *in Charta Ottonis M. A. 966.* & alia ejusdem Anni apud Sagittarium *in Antiqu. Magdeb.* §. *88.* item urbes regalis fiſci, uti a Lamberto Schaffnab. vocantur ad *An. 1070.* villæ Imperiales & villæ publicæ. vid. Hert. *Opuſc. vol. 2. T. 2. p. 43.* & Knipſchild. *de jur. & privil. Civit. Imp. L. 1. c. 1.* §. *70.* & Pfeffinger. *in Vitriar. Illuſtr. L. 1. Tit. XVIII.* §. *3. lit. K.* Imo initio plerasque civitates in Regum arbitrio & poteſtate fuiſſe, manifeſtum eſt; Ad hos enim fiſci jura pertinebant, hi judices dabant, hi præfectis ſuis in urbibus merum mixtumque imperium concedebant, horumque ſc. Regum nomine jus gladii exercebant Comites, Gundling. *Diſſ. de Henrico Aucup. p. 126.* imo hi urbes etiam alienabant & oppignorabant. Hinc Ludovicus Bavarus regno Bohemiæ

Digitized by Google

hemiæ Egram ceſſit pignoris titulo, maximusque nervus maximaque vis & poteſtas Imperatorum in Civitatibus Imperialibus conſiſtebat, quæ etiam eos ſæpiſſime copiis, pecunia, murisque defendebant: palatia enim in iis habebant Reges; conf. Heider. *in Tr.* von Reichs-Vogtheyen/*p. 31. & 33. & paſſim.* Sicuti autem olim ad Regem ſeu Imperatorem omnia vectigalia pertinebant, & ille olim ſolus, ante Electorum in Capitulationibus Cæſarum demum ex poſtfacto introductum conſenſum unanimem, ſolus, inquam, Principibus & Statibus privilegia vectigal exigendi concedebat; arg. *2. Feud. 56.* Juſt. Sinold. cogn. Schüz. *de ſtatu rei Rom. vol. 1. exerc. 4. theſ. 12. lit. b.* Sixtin. *de regalib. L. 2. c. 6. n. 47. & ſeqq.* & omnium optime Pfeffinger. *cit. libr. T. III. L. 3. Tit. IV. §. 5.* qui per ſingulos Imperatores a Carolo M. usque ad noviſſimos oſtendit, quibus jus vectigalium conceſſerint: ita neceſſario ſequitur, ipſum Imperatorem, ut concedentem jus vectigalium, ab iis exemtum atque immunem eſſe debuiſſe; *L. 1. C. de Commerciis,* ibique Salicetus: cum aliis conceſſiſſe non videatur, ut a ſemetipſo vectigal exigant ii, qui hoc jus ab eo impetrarunt, quia generali conceſſione exigendi vectigalia a quacunque perſona vel re, non incluſa manſiſſe præſumatur perſona vel res concedentis; *L. obligat. generalem 6. ff. de pignorib.* Hinc vix ac ne vix quidem poteſt ſimul translatum eſſe ſub privilegio vectigal exigendi, hoc, ut acquirentes ejusmodi privilegia exigant ſolutionem vectigalium ab ipſis domaniis Imperatorum, cum Imperator ceu ſummus concedens ipſe ſemper immunis & exemtus ſit habendus, ejusque bona & res vectigalibus ſubjacere non poſſint. Et licet Civitates Imperiales bonorum domanialium loco

D non

non amplius habeantur, ſed ſuperioritatem territorialem ut alii Status Imp. nacti fuerint, adeoque hoc ſingulare jus ceſſare videatur; tamen illud, quod iis ex aliis adhuc rationibus jam allegatis competit, ex priſtina ſua natura retinent; cum omnia earum jura & privilegia, quæ ab antiquo habent & poſſident, ſecundum Inſtrum. Pac. ſalva eſſe debeant.

XIV. Nec hiſce meis argumentis quicquam detrahere poterit hoc ipſum, quod tamen quibusdam Civitatibus Imperialibus ſint ratione hujus immunitatis a vectigalibus privilegia ſpecialia data atque conceſſa, e. gr. Noribergæ, Francofurto, Aquisgranenſibus, Tremonienſibus, aliisque multis, quorum catalogum ſiſtit Pfeffinger in *Vitriario Illuſtrato T. III. L. 3. tit. IV.* §. 7. Quod ſi autem exemtione gauderent & fruerentur ex alio jure, e.g. qua ſtatus, non opus ſane fuiſſet ſpecialibus hanc in rem privilegiis; Exceptio enim firmat regulam in caſibus non exceptis, & civitates etiam tale privilegium non impetraſſent: ſi proprio jure hoc illis competiiſſet. Aſt hæc tamen objectio meam opinionem non ſubruit. Siquidem illæ privilegiariæ indulgentiæ atque Conceſſiones partim ſunt immunitatis, Civitatibus jam dum antea quæſitæ, confirmationes, quæ per ſe nil addunt, ſed id, quod jam adeſt, duntaxat confirmant; partim ſunt iſtius immunitatis peculiares ad ſingulos cives certarum civitatum eo modo privilegiatarum extenſiones. Imprimis quoad res, quas mercandi negotiandique gratia important vel evehunt, uti allegata docent exempla aliaque. Verum enim vero jam ſupra dictum, etiam Principes & Civitates Imp. non liberas eſſe à præſtatione vectigalium de rebus, quas commercii mercaturæque cau-

ſa

ſa advehi vel transportari curant, multo minus ergo ſinguli cives immunes eſſe poſſunt à penſionibus in his rebus. Sed ſi id volunt, privilegio ſpeciali indigebant, & talia ſunt, quæ communiter allegantur privilegia. Deinde etiam ipſi nobiles immediati, imo & Principes tam ſeculares quam Eccleſiaſtici ſuæ immunitatis jam antecedenter obtentæ privilegiarias extenſiones eodem modo allegare valent. Infelici & fruſtraneo ſucceſſu ergo mihi objici poterit ejusmodi privilegiaria Civitatibus Imperialibus ſubinde data immunitas, ac ſi cæteræ & reliquæ Civitates, quarum jus ita ſubſecutis privilegiis munitum non eſt, hac exemtione a vectigalibus plane deſtituerentur; Quum Civitates etiam privilegiariæ ſuum immunitatis jus primordialiter non ex iſtis novioribus privilegiis, ſed ex jure jam dudum antea quæſito deducere & derivare ſoleant.

XV. Immunitas ejusmodi a vectigalibus Civibus conceſſa, ad cives futuros quidem, non autem ad negotiatores civitatis extenditur, quanquam libertas & exemtio illa civibus data non injuria quoque ad augmentum vectigalis pertineat. Sicuti quoque immunitas à vectigalibus in alicujus Principis territorio impetrata ſpectat ad terras noviter a Principe acquiſitas. Quod ad cives attinet, ſane hoc intelligendum eſt duntaxat de his, qui domicilium in civitate fovent, & non nudum nomen originis præ ſe ferunt. *L. 2. §. ſed hi ſunt. ff. ad SCtum Tertull.* cum non ſit in civitate ille, qui perpetua conſuetudine, conſtituto alibi domicilio, ſeſe ab illa ſeparavit. *L. 35. §. 3. ff. de hered. inſtit.* & originarius, qui onera non ſuſtinet civitatis, reputatur pro forenſi. Paulus de Caſtro *Conſil. 89. num. 3.* Quamvis ex Bertazol. *Conſil. civ. 55. & 56.* a quibusdam contrarium defendi velit, ſed perperam. Hoc quidem certiſſimum

D 2 mum

317

mum duco, originarium civem, qui in loco originis & alibi domicilium ſimul habet, privilegio utriusque loci gaudere ſuique. Bertazol. *Conſil. 150. per tot. vol. 3. p. 1.* Quod autem recte fiat extenſio immunitatis a vectigalibus civibus conceſſæ ad cives futuros, id fundamentum ſuum legitimum in eo habet ſitum, quod ſub generali civium appellatione poſteri quoque comprehendantur, & ſic cives futuri. *L. 4. § 3. ff. de cenſ. L. 21. de legat. 1.* Anchoran. *Conſil. 204. num. 8.* Mercatores autem cives vel ideo ſub civibus privilegiatis non comprehenduntur, quia alia eſt ratio civium negotiantium, alia non negotiatorum, dum illi de lucro non omittendo, hi de damno vitando agant, unde illi facilius vectigali gravari poſſunt, cum lucrorum & commodorum eadem eſſe ſoleat ratio. Natta. *Conſil. 139. num. 4. 5. & ſeqq.* & quanquam privilegia largam alioquin interpretationem recipiant. *L. 3. ff. de Conſtitut. Princ.* ſunt tamen ea ita interpretanda, ne abſurdus ſequatur ſenſus; hinc nec Clerici negotiantes a vectigalibus immunes habentur. *cap. quanquam. de Cenſ. in 6to* etſi enim privilegium indefinite loquatur, & indefinita oratio æquiparetur univerſali, hic tamen canon Philoſophorum non procedit, quando omnium in indefinito comprehenſorum, non eſt par ratio. Diverſa autem ratio eſt, non concedendi immunitatem negotiatoribus, ſicuti reliquis civibus, ob rationem lucri, quod capiunt, hi autem nihil lucri ſentiunt, ex re proprii uſus cauſa importata vel invecta. Ad augmentum autem extenſio ejusmodi immunitatis, vel ideo recte ſe habet, cum augmentum ceu acceſſorium ſequatur naturam ſui principalis. *L. 26. §. 2. ff. de pact. dotal.* qui enim immunis eſt ab ipſa vectigalis impoſitione, eandem immunitatem quoque ad auctionem meretur, ne per indi-

directum amittatur, quod per eandem rationem fieri prohibetur. Menoch. *Conſil. 105. num. 8.* & vectigal univerſum quid eſt, hinc cum augmento & diminutione tranſit immunitas: ſemel enim data immunitate a vectigalibus augmentum ejus, cujus non extat principale, minime exigitur. Menoch. *cit. Conſil. num. 27.* Denique iſta immunitas vel ideo ſpectat ad loca, villas, caſtra noviter acquiſita, quia immunitas Civitatum Imperialium eſt indefinita & generalis, ergo etiam de univerſa provincia & ei noviter acquiſitis pertinentiis eſt intelligenda. arg. *L. 23. ff. de ſervit. præd. urb. & cap. cum in partibus, de V. S.* Franc. Marc. *deciſ. 425. num. 8. lib. 2.* Natta. *Conſil. 340. n. 25.*

XVI. Hoc diſquirendum in præſentia mihi occurrit: Num hucusque Civitatibus Imperialibus vindicata immunitas a vectigalibus rerum, proprii uſus gratia invectarum, ſpectet quoque ad pecuniam, ut hæc etiam immunis a vectigali cenſenda ſit? Sane pro affirmativa, quod de pecunia vectigal ſolvi debeat, equidem id cumprimis militare videtur, quod de omnibus rebus, quæ commercio ſubjacent, exigatur vectigal. *L. 6. C. de vectigal.* Jam autem pecunia commerciis & negotiationibus maxime inſervit, ergo ea exemta eſſe non videtur, potiſſimum ſi ad mercaturam data ſit. Mantic. *de conject. ult. volunt. L. 9. tit. 3. num. 8. in fin.* Et ſufficit ut deſtinatione cum eadem negotietur, licet expenſa nondum ſit. Deinde a pari procedunt Collectæ & vectigal, collectis autem ſubjacet pecunia. Sixtin. *de Regal. L. 2. c. 14. n. 140.* Klock. *de Contribut. Concl. 19. & cap. 12. §. 87.* ergo & à vectigalis exactione exemta eſſe non debet. Verum enim vero ſpecioſa quidem hæc ſunt fundamenta adducta, ſed non tanta, ut, ſi ad regulam in materia vectigalium receptam conſiderentur,

D 3

tur, vi cujus ſecundum conſvetudinem portorium exigitur, revera evincant, de pecunia vectigal ſolvi debere, nam litteræ à Cæſarea Majeſtate ſub *20. Nov. A. 1603.* ſcriptæ, quarum tenor ſequens à Klock. *de vectigal. theſ. 60.* adducitur: **Daß man von Geld nirgend im H. Röm. Reich keinen Zoll zu bezahlen pflege.** ſatis probant negativam, præſumtionem libertatis alioquin pro ſe habentem. Surd. *Conſil. 74.* Si enim Doctori celebri cuidam, teſtanti de conſvetudine, præſumtive ſaltem creditur. Franc. Herculan. *de prob. negat. num. 203. in quinta reſtrict.* Weſenb. *Conſil. 13. n. 100.* Quanto fortius Imperatori aſſerenti conſvetudinem ſe ita habere, credendum, cum ejus aſſertioni regulariter ſit ſtandum. Carpz. *deciſ. 86. n. 2.* præcipue ſi in verbis enunciativis aliquis ſe fundat. Afflict. *deciſ. 305. n. 14. & 16.* Ipſi autem ceu ſummo teſti vel ideo fidendum puto, quia de conſvetudine generali totius Imperii, quæ vice generalis legis eſt, atteſtatur, & ipſe leges & conſvetudines vulgatas ſcire præſumitur. Natta. *Conſil. 98. n. 8.* unde etiam hac in cauſa ex ratione hujus conſvetudinis mandatum de relaxando Arreſto A. 1595. in Camera Imperiali decretum eſſe, allegat Klock. *de vectigal. cit. theſ. 60.* Nec in contrarium quicquam facit iſtud, quod recenſet Thuanus *in hiſt. Lib. 43.* de magna monetæ ſumma contra Imperii decretum de A. 1559. in Germaniam importata, gravibus contentionibus anſam præbente: nam Leoninus in hac ſpecie facti conſultus, recte reſpondit in Legem monetariam Imperii de A. 1559. §. **auf daß ꝛc.** *ubi diſponitur:* **Im Fall aber einer oder mehr über dieß unſer Geboth die Einführung** *(monetæ ſc. reprobatæ)* **thun wird / der oder dieſelben ſollen nicht allein das eingeführte Geld / ſondern auch ihr Leib und Guth nach geſtalten**

ſtalten Dingen verwürckt und verfallen haben ꝛc. peccatum non fuiſſe, cum conſtitutio tantum eos comprehendat caſus, quando quis pravam monetam in Germaniam invehat, vel ea deſtinata ſit in Germaniam, ut ibi expendatur, vel argentea moneta corrumpatur. *Receſſ. Imp. de A. 1559.* §. nachdem ꝛc. & *Rec. de A. 1556.* §. dieweil aber. Ergo de pecunia vectigal non pendunt Civitates Imp. quia hoc contra conſvetudinem Germ. eſt, & deinde etiam pecunia ad publicos uſus maxime eſt neceſſaria, & iis primarie inſervit.

XVII. Denique & hoc ſubnectere non erit ſupervacaneum: Num ob omiſſam profeſſionem rei immunis, pœna commiſſi vel alia quædam locum habeat? Sunt quidem nonnulli, qui hoc ipſum ſtatuunt ſecundum *Legem fin. quoties. ff. de publican.* Fraus enim mercibus munificis fieri poſſet. Igitur pœna cohibendum eſſe tranſeuntem putant, ne fraudis quicquam committere tentet. Præterea privilegia non prodeſſe dicunt, niſi allegentur. *L. ult. C. de præſcr. X. annor. L. 1. in princ. ff. de vacat. munor.* unde improfeſſus abiens jure reliquorum oneratorum cenſendus. Æmyl. Perret. *Conſ. 23. n. 1.* & profeſſio ne quidem ab immuni a vectigalibus omittenda eſt. Everhard. *Conſ. 2. num. 30. vol. 2.* Bald. *Conſ. 70. num. 4. vol. 2.* Diſputatum ideo fuit Romæ A. 1658. menſe Junio inter Venetum Legatum & publicanos: Num Legati cogi poſſint, ut ſcriptura vel alia ratione declarent, ſe non niſi propriam ſuppellectilem ſecum habere? Illi, quia legatus omiſerat, res illius detinebant: Hic vero acriter reſtitit, quia ejuſmodi declaratio in præjudicium legationis vergeret. Muſ. *Diſſ. de jure immunit. a vectig. cert. perſ. compet. p. 21.* Hinc verior mihi videtur contraria & negativa ſententia,

quia

Digitized by Google

quia juris rationi utique convenit, ſi quis rem notorie immunem non ſit profeſſus, quod non patiatur pœnam commiſſi, ſed duntaxat pro hac vice careat commodo immunitatis. Æmil. Ferret. *Conſil. 33. num. 4.* Quæ aſſertio exinde firmatur, quod ſine dolo malo commiſſi pœna infligi non poſſit, nullius autem fraudis & doli argui poteſt non profitens rem immunem, cur innocuus pœnam luat? cum facile quid ſit, quod a pœna doli & contumaciæ illum excuſare queat, qualis etiam poteſt eſſe erronea iſta opinio, ac ſi ob immunitatis rationem non opus foret iſta profeſſione. Bertazol. *Conſil. Crim. 336. num. 8. & Conſil. 393. num. 1. & 8.* argumenta enim in contrarium adducta & allegata facili negotio reſolvuntur, quia maxima ex parte eo tendunt, æquum eſſe ob periculum fraudis rem quoque liberam deſignari & iudicari, quod etiam ſupra propoſui, & defendi; verum inique exinde concluditur, quod, ſi non fiat profeſſio, res committatur. Hæcque ſufficiant, quæ temporis penuria preſſus, de hoc themate Inaugurationis cauſa hiſce theſibus exhibere & proponere potui, ea, ut B. L. æqui bonique conſulat, eſt, quod enixe ab eodem contendo.

SOLI DEO GLORIA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE